



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Fabrica Ecclesiae generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

Oldra. conf. 257. cum alijs adductis per Gomef. in regul. de trien. poss. q. 2. Rebuff. in przal. loc.

Et notandum etiam est, beneficium per vnionem dici, & esse suppressum; idè amplius vacare non dicitur, cum non sit beneficium, sed prædium; neque potest permutari; & si quis permutauerit, licet permutatio effectum non habuerit, non potest ad illud redire, quando sciuerit fuisse vnitum; & Vnionis instrumento scriptum sit, quòd per cessum, & decessum Vnio effectum sortiretur. Et quando Vnio facta est sine causæ cognitione, & solemnitatibus, beneficium potest impetrari absque declaratione; secus autem si facta esset cum solemnitatibus, ex falsa causa.

Vniones autem cum odiosæ sint facile reuocantur, idè cessante causa Vnionis, Vnio reuocari potest. Reuocatio autem cum ijs requisitis fieri debet, quæ in Vnionem requiruntur. & à quolibet interesse prætendente reuocatio peti potest: & causa subsistente Episcopus potest reuocare etiam Vnionem à Papa factam. Vnionem verò reuocata, Ecclesia in illo eodem statu remanebit, in quo ante Vnionem erat, absque tamen præiudicio possidentis. Et alienationes interim legitime factæ validæ erunt.

Rebuff. in præl. loc.

CAPVT XI.

De Fabrica Ecclesiæ generatim.

Concil. Prou. 5. de Eccl. eies. de earum suppel.

VISITATOR diligenter inspiciat, an Ecclesiæ restauranda, vel reparanda sint; & vt id quamprimum præstetur, curet: etsi opus sit, earum omnium censum, partemue huic sumptui necessariam; etiamsi equitibus Ordinis Hierosolymitani obueneret, sequestri ratione apud bonum virum depodi iubeat, qui in illarum instauracionem eiusdem iussu erogetur. Et si aliter fieri non possit, onera per aliquod tempus subleuet.

Syno. 4. dect. 35.

Si verò aliquis sit, ad quem id spectet, ipsum cogat. Vbi autem nemo tenetur omnes & singulos, diuites præsertim pro opere illo ad aliquid offerendum hortetur; eorumque oblationes à cancellario fabricæ in libro scribi faciat: & vbi cancellarius non extat, ipsum cum alijs fabricæ præfectis deputet. Vbi denique minimè restaurari possunt, & planè labuntur, eas profanari, & erecta ibi Cruce ad matricem,

Concil. Trident. sess. 12. cap. 7. Concil.

lapides, &c. necnon cœmeterium, offibus inde ad illam asportatis, transferri mandet.

Prou. 5. de Eccl. & earum sup.

Curet etiam, vt altaria omnia sint ad præscriptam formam, & necessarijs indumentis, & ornamentis instructa: Alioquin ea amoueri faciat, sicut etiam altaria nimium altari maiori, vel inter se vicina, & quæ in loco Baptisterij constituendi sunt.

Syno. 4. dect. 35. Instru. Viste. pag. 55.

Item vt spatium inter altare maius, & cancellos accommodetur: & capellæ minores mensura constituta, aut aptentur, aut tollantur.

Vt demum loca Ecclesijs superiora, vbi profana seruantur, vel habitentur, vel dormiantur, omnino amoueantur.

Plura in hac materia à Visitatore præstanda sunt, quæ infra de Ecclesiæ constructione colligi possunt. Quæ verò quantum ad fabricam, & ad iuppellectilem etiam Ecclesiasticam statim exequenda sunt; hæc quæ sequuntur, potissima esse videntur.

F CAPVT